

CAPVT XV.

De Mundi gubernatione.

I.

Quid sit gubernatio mundi? Est continuatio creationis, respiciens statum mundi naturalem.

2. *An creatio & gubernatio specie differant?* A. Differunt enim vt procreatio & conseruatio.

3. *An Deus e. iam hodie creet, id est, ex nihilo aliquid producat?* A. Creat enim animam hominis ordinarie, & extra ordinem in miraculis exerit vim creatricem.

4. *An Deus gubernet mundum, & omnia in eo?* A. Id enim constat ex omnibus paginis libri Scripturæ & naturæ.

5. *An mundus possit subsistere per se, postquam à Deo creatus est?* N. Nam perfectio creaturæ est dependentia à creatore.

6. *Qua potentia in nihilum abiret mundus, si non conseruaretur?* Potentia contradictionis, quam Græci vocant *δυνάμιν ἀντιφάσεως*. Nam conditio nihili, é quo mundus factus est, postulat, vt possit iterum tendere in nihil.

B 2

7. An